



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Fliderbecanvm, Seu Vllrbacense coenobium, olim extra, nunc intra muros  
vrbis Louaniensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

CAPVT LXXXV.  
FLIDERBECANVM,

*Seu Vlrbacense cœnobium, olim extra, nunc in-  
tra muros vrbis Louaniensis.*

**H**Vius cœnobij auctor fuit Godefridus, eo nomine primus, cognomento Barbatus, Dux Lotharingie & Comes Louaniensis, de cuius initijs ac progressu Chronographus Affligemiensis audiatur: Iste locus traditus fuit monasterio Haffligemiensi à Godefrido Louaniensium Comite, vt ibidem cella construere- tur, & monachi ponerentur. Deinde vsum tam in siluis, quam in pascuis & aquis, fratribus ibidem annuit, atque à telonio & omni ex- actione eos liberos fecit. Datum anno Domi- ni millesimo centesimo vicesimo quinto, & confirmatum ab eodem, anno millesimo cen- tesimo tricesimo octauo.

An. 1125.

An. 1147.

Idem locus ab Henrico Leodiensi Episco- po nobis confirmatus est anno Domini mil- lesimo centesimo quadragesimo septimo, an- no Præfulatus eius tertio, & ab Eugenio Papa tertio anno Pontificatus eius quarto, Domini millesimo centesimo quadragesimo octauo. Diuisum est autem hoc monasterium ab Haffligemiensi cœnobio, cum consensu vtriusque conuentus, sub certis conditionibus, anno Domini millesimo centesimo septuagesimi-

mo ter-

mo tertio, Indictione sextâ. *Hactenus ille.*

*Vlinderbecanum itaq; cœnobium primitus non nisi cella seu Præpositura, vt vocant Hassligemiensi monasterio annexa existit. Primusque eius loci Præpositus N. à Godeschalco Abbate Affligemiensi, anno millesimo centesimo quinquagesimo octauo, est constitutus. Cuius successor Arnulfus, N. Lotharingæ & Brabantiaë Duce rogante, ipsis indulfit, vt Abbatem sibi, sed ex Affligemiensium monachorum cœtu, deligerent, Demùm prædijs cœnobij paulatim imminutis, Alexandri I V. Pont. Max. iussu Vlinderbacenses ab omni subiectionis iure, quo Affligemiensibus erant obnoxij, an. 1259. sunt absoluti, concessumque vt Abbatem suo è corpore adsumerent.*

An. 1158.

An. 1259.

Porro Bursfeldensis Capituli reformatio apud Vlinderbecanos introducta est per N. S. Iacobi Leodicensis Abbatem, & Sedis Apostolicæ Commissarium, Ioannes Langrodij Abbatis æuo, qui an. 1484. creatus Abbas, an. 1519. viuere desijt. Ioanni Langrodio successit alter Ioannes Panhusius, qui primus infulam seu mitram à Rom. Pontifice impetrauit, obiitque an. 1543. Fuit cœnobium istud olim dimidio ferè milliari à muris Louaniensibus situm, quod cum anno 1572. Sept. 25. prope modum in cineres ab hæreticis redactum esset, Vlinderbecanis Louaniense Beggardorum cœnobium, anno 1590. Apostolicâ & Regiâ auctoritate est concessum; Beggardis qui supererant, Benedictinum institutum ample-

ctentibus. *Hac fere Ioannes Bapt. Grammaius, vir eruditus, ex eius loci monumentis nobiscum communicauit; cuius & Brabantia historiam, plura qui uolet, legat.*

**DIPLOMA GODEFRIDI  
EO NOMINE PRIMI, DVCIS  
Lotharingæ & Comitis Loua-  
niensis,**

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Godefridus Dei ordinatione, Dux & Marchio Lotharingæ, atque Comes Louanix, omnibus fidelibus cælestes mercari diuitias. Considerans omnem mundi gloriam instar fluminis raptim præterfluere, & omnes amatores suos subito inanes & vacuos relinquere, utile mihi fore perspexi, & necessarium, ut de diuitijs, diuinâ mihi largiente bonitate concessis, aliqua seruis Dei uiuens impartirer, quæ moriens integra inuenirem. Locum itaque quemdam Fliderbeca appellatum, ab omni potestate, tam mea, quàm Ecclesiæ Louaniensis, liberum, beato Petro Hassigemiensis Ecclesiæ (sicut moris est Principibus) cum omnibus pertinentijs suis liberè tradi, ut Abbas Hassigemiensis cellam ibi, Dei & meâ meorumque opitulatione, exstrueret, monachos poneret, qui die noctuque pro mea, meorumque salute Deo supplicarent. Ut autem firma pax & concordia, inter clericos & monachos, sicut decet, inuiolabiliter perseue-

ret.